



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 128. Seditio Genuensium in Gallos

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CXXVIII.

*Seditio Genuensium in Gallos.*Sæcul. XVI.
A.C. 1506.

Cum enim Ducatus dignitas ad Fregosios, atque Adornios hæreditario jure transmitti cæpisset, hi immensis locupletati divitiis, quas hoc munere functi corraserant, tanta creverunt potentia, ut quamvis nonnisi secundo Nobilium Ordini adscripti essent, primæ tamen Nobilitatis Optimatibus, uti sunt Flisci, Aurizæ, Spinolæ, atque Grimaldi, cedere recusarent. Primo secretæ complurium indignationes audiebantur, demum ad publicam seditionem res excessit; cum enim quidam Auriensis familiæ Nobilis cum alio adversæ partis Juvene globis missilibus luderet, exorta inter eos rixa Auriensis trucidabatur, quam cædem mox communis omnium seditio excipiebat, ac Nobiles tam indigne habiti, ut sese alio recipere compellerentur. Seditiosi jam ad se supremum Reipublicæ imperium esse devolutum rati, illico pro arbitrio novum Magistratum creant octo Viris constantem, quos Plebis Tribunos appellabant, demum etiam contra Regem Franciæ seditionem movebant. Rocabertus Ravestenii Genuensis Præfecti, qui tum in aula versabatur, vices agens, dudum consilii inops, tandem tumultuan-

*Guicc. lib. 7.**San-Ge'as. hist. Lud.**XII.**Foglieta hist.**Genuens. lib. 12.*

Sæcul. XVI. multuantis populi postulatis cedere constituit, firmavitque edictum, quod cives in nupero conventu ad eligendos novos Magistratus convocato considerant; quo facto nuncium ablegabat ad Ravestenum, qui nulla mora cum exigua militum manu Genuam advolavit.

§. CXXIX.

Copiæ Genuam a Galliarum Regi missæ.

*Jo. Auton.
hist. Lud.
XII.*

*Guic. lib. 7.
Raynald.
num. 7.*

Ex adverso rebellium exercitus furentium numero longe superior erat, jamque complures, ignobiliores tamen urbes ad maris oram sitæ occupabantur. Ravestenus, cum seditiosos ob exiguum agminis sui numerum violentia compescere desperaret, eos lenitatis subsidio ad officium revocare nitebatur, hi vero insolentiores facti Ravestenum, quem suorum potentia territum existimabant, copias suas dimittere compellunt, pluresque urbes sibi vendicant, demum crescente audacia ipsam Monæciensem arcem obsidere præsumunt, quapropter Ravestenio aulam repetente, Ludovicus XII. Doctorem Michaelem Ricci Neapolitanum ablegat, qui rebelles, ut in Regis obsequium redirent, inducere conaretur; ast surdis fabulam cecinit. Unde Rex horum pervicacia concitatus, tam